



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XII. Solvuntur argumenta in contrarium opposita.


[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

posse unius peccatum alteri invito imputari, cum tamen, quia invitus facit, nihil meriti amittat; sic enim S. Lucia tyranno minanti jubebo te ad lupanar duci, sapienter respondit: *Si invitam jufferis violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Tertium, potentes hujus sæculi, & optimâ valetudine, & sanitate fruentes, esse longè melioris conditionis, etiam ad salutem æternam, quàm pauperes, debiles, & infirmi, quatenus illi, non ita verò isti, possunt plures, & perfectiores actus externos exercere; sed hæc non sunt admittenda; ergo &c.

233. Quarta ratio est, quia si quis die non prohibita carnes comedat, putans esse diem prohibitam, non minùs peccabit, quàm si reverà prohibita esset; & tamen re ipsa, & effectivè præceptum non violaret, cum hoc non daretur, ut supponimus, sed tantùm affectivè, quatenus existimans dari, illud vellet violare; ergo demeritum non consideratur secundum actionem externam, sed solum secundum affectum, sive voluntatem internam; ergo idem dicendum de merito, cum par sit utriusque ratio.

SECTIO XII.

Solvuntur argumenta in contrarium opposita.

234.  PROPOSITUM tenent Scot. quodlib. 18. art. 3. & cum eo Scotistæ & ex parte Durand. in 2. dist. 42. q. 2. & expressè P. Ripal. de Ente supernat. lib. 3. d. 68. sect. 5. n. 29. & fufius contra P. Lugo lib. 4. d. 74. sect. 6. in Appendice à n. 61. & cum illo aliqui Recentiores: pro quibus:

235. Oppones 1. Actio externa mala reddit hominem miseriorem, quàm sola interna, ut constat ex D. Aug. lib. 13. de Trinit. cap. 5. ibi: *Mala voluntate, vel sola quisque miser efficitur, sed miserior potestate, quâ desiderium mala voluntatis impletur;* ergo etiam actio externa bona reddet hominem meliorem, quàm sola interna; consequenterque addit supra illam aliquid meriti. Respondeo D. Aug. pro nobis stare ut constat num. 225. hinc autem velle, actionem externam reddere hominem miseriorem, non formaliter, de quo est quaestio, sed occasionaliter, quatenus ei occasionem dat, ut frequentius, & diutius velit malum; quod etiam dici potest de actione bona externa, utpotè quæ etiam est occasio, ut homo plures, & intensiores actus internos bonos voluntatis eliciat, quibus formaliter meretur, & fit melior.

236. Oppones 2. Actus externus suam habet propriam bonitatem; & majus auxilium gratiæ requiritur ad volendum, & exequendum opus pietatis, quàm ad illud tantùm volendum, ut constat ex D. Aug. de grat. & liber. arbit. cap. 17. & in Enchirid. cap. 32. ergo in executione operis externi augetur bonitas, & difficultas, alioqui necessarium non esset majus gratiæ auxilium; ergo etiam augetur meritum. Respondeo distinguendo antecedens: suam habet propriam bonitatem physicam, & objectivam; concedo antecedens: formalem, & moralem; nego antecedens: neque enim habet libertatem formalem, & immediatam distinctam à libertate actus interni. quod necessarium erat, ut haberet distinctam bonitatem moralem, & sic distinctum meritum. Undè illud majus auxilium non requiritur ratione ipsius operis externi præcisè, sed aut ratione perseverantiæ in prima voluntate, aut ratione alterius de novo eliciendæ.

Inferes: Ergo frustra persuadentur opera externa, cum non sint meritória; hoc autem videtur esse contra Scripturam, & Sanctos Patres, à quibus pluribus in locis consuluntur mortificationes corporis, & eleemosynæ; ergo &c. Respondeo negando illationem: neque enim volitio efficit interna suaderi, & consuli potest, quin simul suadeatur, & consulatur opus externum, in quod illa necessariò prodit, nisi aliundè per accidens impediatur. Accedit, quod opus externum, licet non sit meritörum, est tamen satisfactorium, & prout sic suaderi, & consuli potest.

Oppones 3. Actus, sive actio externa auget utilitatem extrinsecam, & honorem Dei; siquidem multum conducit ad excitandam in aliis laudem, & cognitionem Dei, & affectus virtutum internos, quæ quidem sunt bona extrinseca Dei: & per illam simpliciter, & absolutè Deum honorat, quem per actum internum solum vult honorare; alium enim honorare nihil aliud est, quàm verbis, aut factis palam facere bonam æstimationem, quam de illo antea concepimus; ergo talis actio, sive actus externus habet distinctum meritum ab interno. Respondeo primò, argumentum nihil probare saltem circa actus externos in secreto, & non publicè factos, ut consideranti patebit, cum tamen Authores hujus sententiæ contendant tribuere distinctum meritum omnibus operibus externis.

Respondeo secundò distinguendo primam partem antecedentis, auget utilitatem extrinsecam Dei mihi formaliter liberam; nego antecedens: liberam denominativè; concedo antecedens: Sicut igitur utilitas illa Dei extrinseca non est mihi formaliter, sed denominativè libera, ita denominativè tantum, & non formaliter, est mihi meritória. Patet, quia illa laus, & cognitio Dei, ut ab aliis exercita, cum non sit actus meus formaliter, sed ab aliena libertate dependens, non potest esse mihi libera, & laudabilis formaliter, sed quatenus actu interno illam intendi; sicque solum ut objectum est à me volita, & reddit meam volitionem honestam; non autem ut moraliter bona, & formaliter libera; nam sive in aliis sequatur illa laus, & cognitio Dei, sive non, semper eadem mea volitio interna, & cum eodem merito perseverat; ergo talis actio externa nullum addit meritum supra internam.

Respondeo tertio distinguendo etiam secundam partem antecedentis: actio illa externa auget honorem Dei denominativè; concedo antecedens: formaliter; nego antecedens: sicque eodem modo dicimus esse meritörum. Neque volitio interna honorandi Deum est solum velle, & non recipia Deum honorare formaliter, cum sit obsequium liberè præstitum in æstimationem Dei, in quo consistit propria ratio honorandi Deum, licet non ita honorentur homines per solos actus internos, quos nequeunt cognoscere; maximè autem Deus, qui scrutatur corda, & voluntates nostras pro factis reputat, & æstimat; cum sola sint formaliter libera.

Oppones 4. Actus externus addit aliquid satisfactionis supra internum: Imò & laureolam Martyrii, indulgentias, & similia; ergo etiam aliquid meriti. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia satisfactio sequitur pœnalitatem, quæ diversa est in actu externo: at verò meritum sequitur laudabilitatem, quæ sine libertate non reperitur; hæc autem non reperitur diversa in actu externo. Deinde laureolæ, & indulgentiæ dantur merè liberaliter, licet sub conditione alicujus operis externi; ad meritum autem requiritur actus

actus factus in obsequium Dei, ad quod requiritur libertas, quæ in actu externo non datur.

242. Inferes: Ergo tantum meretur homo volens efficaciter pati Martyrium, cum ei tormenta deficiant, quam qui de facto Martyrium patitur, & acerbissima tormenta sustinet. Respondeo ita esse per se loquendo, & positâ in utroque voluntate omnino æquali. Unde ex parte hominis, sive ex opere operantis tantum meritum potest esse in martyrio in voto, quam in re suscepto, ut ait P. Soar. cit. num. 21. licet regulariter loquendo, non ita accidat; siquidem qui in re Martyrium patitur, habet occasionem perseverandi diutius in primâ voluntate, & eliciendi novos, & intensiores actus, quibus magis meretur ratione diuturnioris perseverantiæ, & majoris intensiõnis in actibus.

243. Addo laureolam illam, quæ Martyribus à Deo liberaliter conceditur (idemque dicendum de laureolis Virginibus, & Doctoribus concessis,) non eis communiter dari, nisi positâ ipsorum morte; hæc autem non est effectus Martyrii, sed Tyrannorum; neque enim Martyr in instanti, quo obiit, aliquid promeruit, cum jam sit extra viam, in quâ solum meretur, ut infra dicemus; sicque solum meretur per mortem, non tanquam per effectum, sed tanquam per objectum, quod nullum addit meritum supra actum internum, ut patet ex supra dictis. Deinde, licet effectus secutus non addat novum meritum, potuit Deus nolle præmiare affectum internum, nisi dependenter ab effectu secuto, in quo eventu laureola illa erit præmium datum, non ratione meriti actus externi, sed interni sub illâ conditione acceptati.

244. Oppones 5. Christus Dominus redemit nos externâ suâ Passione, sed nos redemit per sua merita; ergo illius Passio externa addidit meritum supra volitionem internam. Respondeo Christum Dominum redemisse quidem nos suâ externâ Passione, acceptatâ tamen actibus internis, in quibus erat formaliter totum meritum, & ipsum denominativè in Passione externâ, quæ non ab illo, sed ab aliis fuit illata, & per ipsum tolerata.

245. Inferes: Ergo Passio Christi Domini externa fuit superflua, cum potuerit nostram redemptionem operari solis actibus internis, in quibus erat totum meritum. Respondeo negando illationem; neque enim Passio externa Christi Domini fuit superflua; sicut neque mors Crucis, cum sufficeret dolor in Circumcisione passus ad nostram redemptionem; siquidem Deus decreverat redemptionem Christi Domini fore consummandam in Cruce per ejus mortem, & non aliter acceptandum affectum illius internum, nisi effectu mortis secuto, non quia adderet novum meritum, sed quia sic oportuit fieri justis de causis, ut ipse testatus est, dum dixerit: Matt. 26. 54. Luc. 24. 46. & Joan. 12. 34. ibi: *Oportet exaltari Filium hominis.*

246. Oppones 6. Actiones externæ prævæ, cum habeant difformitatem à naturâ rationali, per se prohibentur à rectâ ratione; ergo habent propriam, & diversam malitiam, & demeritum ab actionibus internis; ergo idem dicendum erit de actionibus bonis quoad meritum. Respondeo malitiam actionis externæ esse quidem contra naturam rationalem, sed objectivè, & quasi physicè, seu modo quasi mortuo, quod non sufficit ad demeritum apud Deum, qui solum attendit ad actus internos, in quibus, utpotè formaliter liberis, est tota formalis malitia, & à quibus externi procedunt, quidquid sit apud homines, qui sola externa judicant, cum interna non cognoscant.

Tom. 2.

Oppones 7. In Decalogo diversis præceptis prohibentur desiderium rei, & uxoris alienæ, ut in nono, & decimo præcepto, & diversis fornicatio, & externa fornicatio, ut in sexto, & septimo præcepto; ergo ideo sic prohibentur, quia actus externus habet diversam malitiam, & demeritum ab interno; ergo idem dicendum erit de illis quoad meritum. Respondeo actum internum ex eo, quod possit aliquando esse sine externo, præsertim si sit inefficax, bis prohiberi à Deo, semel per se solum, & iterum simul cum externo; hoc tamen non probat, malitiam distinctam esse in externo, sed tantum declarat, internum, & se solo, & associatum esse malum.

Inferes: Ergo homo non tenetur confiteri peccata externa, & opere consummata, sed satis erit dicere, se efficaciter illa voluisse; siquidem solum tenetur confiteri id, quod formaliter est malum, & offensa Dei; hoc autem non est dicendum; ergo &c. Respondeo negando illationem; tenemur enim explicare in Confessione actum externum simul cum interno: Primò, quia actus externus est verè peccatum juxta D. Aug. deficientem peccatum, factum, dictum, vel concupitum contra legem Dei: est tamen actus externus peccatum solum denominativè à voluntate internâ, ex qua, & actu externo coalescit unum opus moraliter malum, includens essentialiter malitiam moralem in confessione aperiendam.

Secundò, quia per actum externum melius apprehendit Confessarius actum internum quoad intentionem, & efficaciam in ordine ad judicium sacramentale. Tertio, quia actus externi declaratio multum conducit ad pœnitentiam imponendam; & sæpè necessaria est ad injungendam restitutionem pro damno illato; & ut cognoscatur, an pœnitens incurrit aliquas pœnas, aut reservationem, & quid simile. Quarto, quia ita tenet praxis Ecclesiæ, ex quâ conjicitur, ita fuisse à Christo Domino præceptum.

Oppones 8. Peccatum executioni mandatum majoris pœnæ meritum est quoad opus externum; sic enim Ecclesia censuris, & irregularitatibus punit peccata externa opere completa, & non alia; & leges civiles aliter puniunt externa malefacta completa, quam solum attentata; ergo &c. Respondeo antecedens esse verum in ordine ad homines, non autem apud Deum; nam homines vident ea, quæ patent, Deus autem intuetur cor, idèdque homines judicant, & puniunt ea, quæ exterius fiunt, non quidem ob eorum merita, aut demerita, cum eorum bonitatem, aut malitiam non cognoscant, sed ob utilitatem, aut commoditatem, aut nocumentum, quæ afferunt, & ex solis operibus externis accipiunt, & non ex puris affectibus internis, quos solus Deus intuetur, judicat, punit, & remunerat.

Oppones 9. Idèd actus externus non auget meritum actus interni, quia illius bonitatem non auget; sed hoc non obstat; siquidem gratia habitualis auget meritum actus, quin augeat illius bonitatem; ergo sic illam augebit actus externus. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem datur diversa ratio. nam gratia habitualis, cum se habeat ex parte personæ operantis, & se per actum bonum Deo offerentis in obsequium, facit, ut quod persona per ipsam gratiam est sanctior, eò sit Deo acceptior, & gravior, acceptioresque, & graviores sint Deo illius actus, sicque auget assimilabilitatem moralem, & in ea etiam meritum: at verò actus externus, licet habeat se etiam ex parte personæ

Nn 2

personæ

personæ operantis, non aliter poterit meritum augere, nisi in ratione obsequii liberi, cum autem non sit diversum obsequium liberum moraliter ab actu interno, non potest illius meritum augere.

252. Oppones 10. Si duæ feminæ æqualiter sanctæ, æqualem voluntatem efficacem haberent concipiendi Verbum Divinum, & ad id se æqualiter disponerent, & Verbum Divinum de facto ex unâ tantum humanitatem assumeret, huic plus deberet, quam alteri, quæ illius mater non esset, neque ei humanitatem assumendam præstaret; sed non ita deberet, nisi ob aliquod meritum additum per istam actionem externam: ergo &c. Respondeo negando minorem; neque enim Verbum Divinum ei, quæ illius mater esset, plus deberet ob meritum de novo acquisitum per illam actionem externam, quæ nullum ei adderet, sed ob alias rationes.

253. Primò, quia illa, quæ re ipsa illud conciperet, plures actus internos exerceret in ipsâ conceptione Verbi, quibus ei fieret acceptior, & gravior, & cresceret illius meritum, cujus ratione magis ei deberet. Secundò, quia adhuc seclusis his actibus, & loquendo præcisè de ipsâ actione concipiendi Verbum, illud majus debitum gratitudinis erga illam feminam, quæ esset illius mater, non fundaretur in ipsâ actione externa, sed in conjunctione naturali inter filium, & matrem, quod debitum habent omnes homines erga suos parentes, à quibus, aliquando etiam invitis, procreantur. sicq. filius multum debet parentibus ob solam rationem, & motivum naturale filiationis collata, & non semper ob rationem formalem beneficii; ac proinde hoc debitum fundaretur in illa conjunctione naturali, & non in ratione obsequii, quod ad meritum requiritur.

254. Oppones 11. Ideo actus externus non adderet meritum supra internum, quia solum esset immediatè, & non immediatè liber; sed hoc non requiritur, & illud sufficit; siquidem actus internus est meritorius, cum tamen non sit immediatè, sed tantum mediatè liber, quatenus voluntas, quæ sola est immediatè libera, & indifferens ad actionem, hac posita, & illa mediante necessariò elicit suum actum; sicut etiam posito illius actu efficaci, necessariò sequitur actus externus; ergo &c.

255. Respondeo negando minorem quoad utramque partem, & ejus probationem; falso enim supponitur actum voluntatis internum non esse immediatè liberum; nam ille actus dicitur immediatè, & formaliter liber in facto esse, supra quem cadit immediatè, & formaliter ipsa libera voluntatis determinatio in fieri, qualis est actio, per quam ipsa voluntas tendit ad actum, cum illa sit via, hic autem sit terminus; & cum via non tollat immediatam tendentiam ad suum terminum, neque etiam tollit immediatam libertatem ipsius termini, sive actus interni voluntatis: at verò actus externus solum est mediatè, & denominatè liber, quatenus voluntas jam completa, & terminata per suum actum internum immediatè liberum, mediante hujus imperio libero tendit insuper in actionem externam tanquam in ulteriorem terminum.

256. Oppones 12. Magis meretur qui elicit amorem Dei (idemque de actu contritionis,) quam qui solum desiderat, aut vult illum elicere; ergo etiam magis merebitur, qui re ipsa dederit, quam qui cum eadem omninò voluntate volens dare, non tamen dat eleemosynam ab extrinseco impeditus. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia amor Dei (sicut & contritio,) si felicitatur, est actus immediatè, & formaliter liber, ut suppono, sicque formaliter meritorius; ac proinde qui illum

elicet, magis meretur, quam si solum illius desiderium haberet: at verò actus externus, cum non sit formaliter, sed solum denominatè liber, solum denominatè, & non formaliter, est meritorius.

257. Oppones 13. Si actus externus non addit aliquid meriti supra internum, sequitur, eum, qui efficaciter, & quantum est ex se, desiderat dare eleemosynam infinitam, tantum mereri, quantum si re ipsa illam daret; sed hoc non est admittendum; alioqui mereretur infinitum præmium, sicut illud mereretur, qui re ipsa infinitam eleemosynam largiretur; ergo &c. Resp. primò negando majorem; nam bonitas objecti, qualis est illa eleemosyna infinita, utpote extrinseca actui, non refunditur tota in illum arithmeticè, sed solum geometricè: Unde est, quod amor etiam ferventissimus boni infiniti clarissimè repræsentati, qualis est, qui reperitur in Beatis, non est infinitus.

258. Addo, argumentum, si aliquid probaret, etiam probare contra ipsum actum internum præcisè; nam certum est, eò esse meliorem, quò melius habet objectum; ergo si quis vellet efficaciter, & quantum est in se, dare eleemosynam infinitam, magis mereretur, quam qui vellet dare finitam; ergo hic finitus, ille autem infinitum meritum haberet, quod ipsi Adversarii non admittunt.

259. Dices: Argumentum hoc non intendit probare, actum esse tam bonum, atque estejus objectum, sed præcisè debere esse infinitè meritorium, sicut talis esset, si re ipsa poneretur in executione per largitionem eleemosynæ infinitæ; ergo licet doctrina illa vera sit, adhuc argumentum subsistit. Respondeo negando consequentiam; nam si actus non est æquè bonus, atque ejus objectum, bene sequi ut non esse tam meritorium apud Deum; siquidem meritum fundatur in bonitate morali actus, positus aliis conditionibus, de quibus Theologi, & nos infra dicemus; ergo nunquam esset infinitè meritorium.

260. Respondeo 2. ad argumentum cum *P. Soar. cit. num. 22. & P. Vafq. cit.* eam voluntatem dandi infinitas eleemosynas, non posse esse efficacem, cum objectum, nempe dare eleemosynas infinitas, cognoscatur impossibile, de quo non datur actus efficax; in voluntate autem inefficaci, & simplici complacentiâ, non potest habere locum prædictum argumentum.

261. Dices: Simplex complacentia de dandis duobus aureis pauperi est melior, & magis meritoria, quam simplex complacentia de dando uno solo: & simplex complacentia de dandis tribus, quam alia de dandis duobus; ergo argumentum etiam habet locum in simplicibus complacentiis, & voluntatibus inefficacibus. Respondeo distinguendo consequens: in simplicibus complacentiis de objecto finito; concedo consequentiam: de objecto infinito; nego consequentiam; in excessu enim finito possunt augeri voluntates inefficaces, consequenterque earum meritum juxta augmentum rei volitæ; siquidem cum objectum finitum sit possibile, possunt ipsæ voluntates fieri efficaces: non ita verò in materia, & objecto infinito, utpote quod est impossibile.

262. Inferes: Ergo saltem voluntas amandi Deum, sicut Beata Virgo, & omnes Sancti amant, æquabit omnium eorum merita, cum objectum sit finitum, & simpliciter finitum. Respondeo cum eodem *P. Soar. cit.* negando illationem: licet enim merita Beata Virginis, & omnium Sanctorum sit objectum finitum, & simpliciter possibile, includunt tamen plures actus ita perfectissimos, ut illis videatur

etur impossibile, saltem moraliter, æquari in efficaciam desiderium bene operandi, sicut illi operati sunt: Unde illud desiderium non comparatur ad eorum merita, sicut actus internus ad externum, cui ex se adæquari potest, sed sicut actus ad objectum adeo eminens, & quasi immensum, ut ei quasi impossibili adæquari non possit.

263. Respondeo 3. ad argumentum cum P. Arriaga. cit. n. 45. voluntatem illam dandi eleemosynam infinitam præcisè (idemque de aliis exemplis, quæ adduci poterant,) non habere meritum infinitum, utpotè quæ est de objecto confusè cognito, ideoque non posse habere tantum meritum, quantum haberet voluntas dandi eleemosynam infinitam in executione; siquidem talis voluntas, cum esset de objecto distinctè cognito, haberet majorem bonitatem; consequenterque majus meritum: sicut voluntas efficacis dandi centum aureos pauperi distinctè cognitos magis meritoria est, quam si solum confusè cogniti ei impenderentur hujusmodi centum aurei. Alias aliorum solutiones adducit P. Arriaga cit. quas ipse rejicit, has tamen sufficit adducere pro argumento satis difficili, ut dicit idem P. Arriaga. cit. num. 39.

SECTIO XIII.

Explicatur tertia conditio requisita ad Meritum ex parte actus.

264. **T**ERTIA conditio requisita ex parte actus ad Meritum de condigno, est, quod actus sit moraliter bonus, ita ut bonitas moralis sit intrinseca, & essentialis conditio operis meritorii non minus, quam libertas, de qua hætenus diximus. Ita P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 4. n. 1. P. Vasq. 1. 2. d. 216. cap. 3. P. Ovied. contr. 3. punct. h. P. Tanner. d. 6. de grat. q. 6. dub. 4. n. 70. P. Arriaga tom. 4. d. 53. n. 6. P. Agid. d. 8. de Merito, dub. 4. n. 40. P. Amicus tom. 3. d. 35. sect. 2. n. 14. & omnes alii, neque enim in hoc, inquit P. Soar. cit. n. 3. dissentientem Theologum, aut difficultatem alicujus momenti inveniri.

265. Probatur primò auctoritate Scripturæ ubi quoties loquitur de merito apud Deum in ordine ad vitam æternam promerendam, semper de opere moraliter bono mentionem facit, ut constat 2. Cor. 5. Ut unusquisque referat, prout cecit, sive bonum, sive malum. Et 1. Tim. 6. Divitibus hujus sæculi præcipe in Deo vivo bene agere, divites fieri in bonis operibus ut apprehendant veram vitam. Et 1. Cor. 15. Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Et 2. Petr. 1. Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Confirmatur ex Trid. sess. 6. cap. 16. ubi doctrinam de meritis justorum tradens, aliqua ex proximè citatis loca adducit, & subdit: Atque idèd bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna Tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Et idem habet can. 24. 26. 32 & 41.

266. Probatur secundò rationibus: Prima, quia opus meritorium apud Deum debet aliquo modo in ejus gloriam, & obsequium redundare; sed hoc solum potest habere opus moraliter bonum, & honestum; ergo &c. Secunda, quia opus moraliter malum non est dignum præmio, sed poenâ; opus verò indifferens, aut nullum datur in exercitio, aut si datur, non est magis poenâ, quam præmio dignum;

ergo solum opus moraliter bonum, & honestum est capax meriti, & præmii. Confirmatur, quia quod remuneratur, remuneranti placet; solum enim remuneramur, quod in nostrum obsequium præstitum nobis placet; sed repugnat Deo placere actum malum; hoc enim esset actu complacentiam malum approbare, implicat autem sic Deum approbare, quod malum est; ergo nullus actus moraliter malus, sed solus moraliter bonus potest à Deo remunerari ut meritorius apud ipsum.

267. Advertes cum P. Vasq. cit. hanc conditionem requiri ad meritum, non ex voluntate, & libera ordinatione Dei, sed ex ipsa rei natura. Patet, quia ut actio sit meritoria, debet ex se, & non ex sola libera Dei acceptance dignitatem habere, ut supra diximus à num. 96. cum de libertate operis meritorii, egerimus; sed hanc dignitatem laudis, & præmii habere nequit, nisi sit bona, sicut neque dignitatem vituperii, aut poenæ, nisi sit mala; ergo &c.

268. Hinc, & ex supra dictis à n. 96. colliges primò, neque de potentia Dei absolutâ, posse actum malum meritorium esse apud Deum præmii, & vitæ æternæ. Secundò, hoc idem dicendum de actu indifferente (si hic datur, de quo alibi:) Patet primò, quia aut actus cedit in honorem, & gloriam Dei, aut non: Si primum; ergo non est indifferens, sed bonus: Si secundum; ergo manet extra essentiam, & definitionem actus meritorii, de qua supra. Secundò, quia actus indifferens prout sic, non potest esse demeritorius, cum non sit malus; ergo neque meritorius, cum non sit bonus; magis enim requiritur ad meritum, cum sit bonum, quem ad demeritum, cum sit malum.

269. Notat tamen hic P. Soar. cit. num. 3. id, quod diximus de actu indifferente, intelligendum esse de illo manente in sua indifferentiâ; nam si actus aliundè indifferens in bonum finem ordinetur, vel à Deo præcipiatur, jam non manet indifferens, sed bonus, & meritorius; siquidem in primo eventum participat bonitatem finis; in secundo autem obedientiæ. Non placet, nam aut sermo est de actu externo, aut de interno: Si primum, licet fiat ex præcepto, aut ex alio fine honesto, non habet aliam bonitatem præter denominativam ab actu interno; hæc autem non sufficit ad proprium, & distinctum meritum, ut supra diximus: Si secundum, aut talis actus internus supponitur elicitus, sive elicendus ex motivo indifferenti, & per alium actum distinctum ordinatur ab extrinseco ad exequendum præceptum; vel ad finem aliquem bonum, & tunc non habet majorem, aut diversam bonitatem, & meritum, quam habet actus externus prout sic ordinatus, & imperatus, ut patet ex supra dictis de actu imperato: aut talis actus elicitur, ut præcepto obtemperetur, vel ob alium finem honestum, ita ut habeat talem finem pro objecto motivo specificante, & tunc non transit de indifferenti in bonum, sed est intrinsecè bonus, ita ut nunquam fuerit, aut potuerit esse indifferens.

270. Oppositum tenuit Mayron. in 1. dist. 17. q. 2. pro quo: Obijciens t. Deus de potentia absoluta potest acceptare actum malum, vel indifferenter tantquam meritum gratiæ, & gloriæ; ergo ad rationem meriti non requiritur hæc bonitas moralis in actu, saltem ut quid intrinsecum, & essentialis. Respondeo negando antecedens: primum enim repugnat bonitati divinæ; siquidem id esset invitare ad malum, & in eo sibi complacere: Secundum verò etiam repugnat; siquidem id esset provocare præmio ad modum operandi vani, & præter rectam rationem, qualis est operatio per actum indifferenter.